



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hvmanae Salvts Monvmenta

Arias Montano, Benito

Antverpiae, [1571?]

In tabulam Christi Apostolos legantis. Ode XLVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68924](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68924)

In tabulam Christi Apostolos legantis.

ODE XLVIII.

SÆCLORVM veterum, præscripto ex ordine, finem
Certa Deo voluentibus annis
Tempora protulerant; hominum quoq; magna per orbē
Strata seges matura iacebat;
Agricolam iam cana suum cū terra vocaret,
Et falcem expectaret acutam,
Redderet ut foetas seruandi farris aristas,
Sed culmos quoque rursus inanes:
Tunc Domini messis natus, summusq; minister
Orbis imago auctorq; nouandi,
Selectorum operi tanto, duodena virorum
Ora tuens, sic fatur amicē.
O mihi præchari comites, sociiq; laborum
Arcanig; sacraria magni,
Non vos parua manent discrimina, vertere missos
Terrarum moremq; modumq;
Queis maris horrifoni fluctus, ac dura viarum
Sunt adeunda pericula sæpē:
Non ut Erythreas gemmas, ostrumq; superbum,
Numorumue paretis acervos;
Sed magis ut nudi atque inopes, patriaq; remoti,
Vexati, instabilesq;, vagiq;
Vulpibus infestisq;, lupisq; rapacibus, agni
Imbellēs, blandeq; columbæ
Sitis, lux tenebris, nimiumq; furentibus agris
Fomentum mediciq; fideles.
Ite igitur fortes, & me dūce & auspice magni
Consilium curate parentis.
Æthereas sperate & opes, æternaq; sedis
Sceptra mea, & conuiuia mensæ.

L A T I N -

LÆTISSIMA ORBI LEGATIO.

*Fortia debilibus superantur, maxima paruis:
Viderat hoc demens mundus, & obstupuit.*



MAGNI CONSILII NUNTIO SUMMO S.

G 3

In